

DE NVPTIIS

INCLYTI REGIS POLONIAE
SIGISMVNDI AVGVSTI, ET ELYSSAE

Cęsaris Ferdinandi filię, carmen Georgij Sabini,
continens præcipuas omnium Polonicorum
Regum historias.

ECLOGA DE GALLO
ad Ticinum capto, & aliquot elegię
eiusdem Sabini.

Mense Aprili, Anno M. D. XLIII.

Francofordię ad Oderam.

Dn. Justiniano Goblere Juvicō

MAGN
DZIAD

&

ET

me

tur: diu

ges, doc

ac poen

constat:

nitus co

res ad e

efficatio

na, conf

semper

vetera

late pr

tatem

Ideo pr

in mun

norum,

tati trad

conserua

sunt vsq

dem exta

stiorū &

aliud car

MAGNIFICO VIRO STANISLAO
DZIADVSIO, PRAEFECTO CONINENSI,

& Architeloni maioris Poloniae, Georgius

Sabinus S. P. D.

ET si magna est vitae humanae, morumque confusio: tamē vt pars aliqua generis humani, disciplina regatur: diuinitus nerui disciplinae hominibus traditi sunt, leges, doctrina de premijs, & poenis: & legum, praemiorū, ac poenarum exempla. Et vt leges vere a deo ortas esse constat: ita sentiendum est, exemplorū memoriā diuinitus conseruatam esse. At ineptum est disputare, vtra res ad excitandos, flectendos, & assuefaciēdos anios sit efficacior: leges, an exempla: cum sit vna virtutis doctrina, constans vtraque parte: quae cū summū vitę decus sit, semper curae fuit, magnis & sapientib: gubernatoribus, vetera monumenta, ac res gestas maiorū, & inquirere, & late propagare: vt & suam aetatem erudirent, & posteritatem magna illustrium exemplorū copia instruerent. Ideo primi generis humani duces, causas maximarum in mundo mutationū, exordia imperiorū, poenas tyrannorum, & pleraque alia, certissimis monumentis posteritati tradiderunt: quae singulari dei ope ac beneficio, & conseruata sunt inde vsque ab initio mundi, & mansura sunt vsque ad rerum finem. Graeca historia, quae nūc quidem extat recentior est: sed multa sunt in ea rerū veteriorū & antea gestarum vestigia. Etsi. n. nunc extat nō aliud carmē graecum, Homericō vetustius, tamen & an-

A ij tea fu

tea fuisse monumenta vetustiora non dubium est. Nam
& ipse **Homerus** narrat **Achillem**, cui precipuam virtu-
tem inter duces tribuit: cum ociosus in tentorio sederet,
Heroum res gestas ad citharam cecinisse. Et apparet eo
in admiratione & gratia nomine Poetarum initio fuisse,
quod eorum ingenijs & arte, memoria rerum gestarum con-
seruabatur: ut significat **Lucanus** cum inquit,

O facer & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis: & donas populis mortalibus æuum.

Sed multa utilia monumenta, partim temporis diutur-
nitate consumpta perierunt, partim alijs casibus deleta
sunt: cum vel in bellis euerse sunt ciuitates, vbi studia co-
lebantur: vel propter migrationes gentium vetus disci-
plina mutata est. **Callimachum** poetam, qui in familia
Ptolemei Philadelphi, & postea **Euergetis** diu vixit: cum
alia multa antiquitatis vestigia inquisita, conscripsisse fe-
runt: tum etiam librum reliquisse de urbium, & gentium
originibus & nominum mutationibus: item de mutatis
gentium sedibus. Credibile est autem **Callimachum**, & bib-
liotheca **Alexandrina**, & multis sacerdotum monumen-
tis adiutum esse. Hic thesaurus si extaret, omnibus histo-
rijs quantum lucis adderet? Nunc in tanta incertitia an-
tiquitatis, sequimur obscura rerum vestigia. Sed tamen
prudentibus grata esse diligentia eorum debet, qui quan-
tum possunt, studium conferunt ad historiarum conseruati-
onem. Magnopere igitur laudandi sunt vestri homi-
nes, **Io. Dulongosus**, **Mechouius**, & **Iustus Decius**,
qui suorum regum seriem annotarunt: quorum cum
res mihi viderentur magnæ, variæ, & dignæ cognitio-
ne, cum instituissem **Epithalamion** scribere inclyto
regi

régi Sigismundo Augusto, visum est intexere eas huic
argumento, vt carmine celebratæ magis legerentur. Et
cum in hoc solenni pompa, precari omnes fausta regno
debeant: quid auspiciatius dici cogitariue potest, quam
de regni primordijs, & incrementis? quod cum singula
ri Dei ope ad hoc fastigium euectum, & inter ferocissi-
mas nationes defensum esse cogitabimus: precemur vt nunc
quoque in tanto vniuersæ Europæ discrimine, Deus opt.
max. hoc domiciliū religionis Christianæ, virtutis, disci-
pline & literarum, diutius pteget, ac tueat. Quis nostrū cū
vel Asiæ vrbes, vel Græcæ gentis republicas veteres ani-
mo intuetur, & reputat, quæ ibi studia doctrinæ fue-
rint: quantum decus veræ religionis: cumque videt euersis
urbibus, interfectis & dissipatis indigenis, deleto Chri-
sti nomine, abolitīs omnibus literarum & virtutis studi-
js, tantū immanem & spurcam barbariem in illis locis
vagari, ignaram Dei, & vniuersæ ciuilis cōsuetudinīs: nō
deplorat interitum laudatissimarū gentium: non de re-
liquo orbe Christiano angitur? Quare & vota faciamus
omnes pro republica: & viri fortes sciant, sibi maiorum
exemplo pro patria dimicandum esse: ad quod vos pie-
tas erga Deum, patriæ charitas, amor coniugum, libero-
rum, ac totius huius legitimi status, quo nunc floret Po-
lonia, & maiorum decora hortantur: qui toties Tartaros
& Turcas a Valachia, Pannonia & Polonia depulerunt
Multū. n. natura, & disciplina vestræ gētis, differt a vici-
nis: quod ex multis rebus intelligi potest. Nam & regnū
domi legibus, & iudicijs, præclare constitutum & ornatū
est: & ad bella gerēda copijs equestribus & pedestribus,
& omni apparatu, magno consilio instructū est. Descri-

A iij pti sunt

pti sunt ordines, qui omnes vnus imperio parent: mo-
res vero, disciplina domestica & ciuili, grauissime regun-
tur: iuuentus vel ad militiã, vel ad literas instituitur, vel
agriculturam exercet, vel alijs se honestis opificijs in ciui-
tatibus dedit. Hos mores quoties vidi in ciuitatibus ve-
stris, de antiquitate vestra cogitavi. Non. n. dubium est
Polonos Henetam gentem esse, quę & in Asia vicina fu-
it genti omniũ laudatissimę & cultissimę Ionicę, & po-
stea duce Antenore in Europam ducta, p̄pinquas Grę-
cię sedes in Illyrico occupauit, ac tenet etiamnum ānos
ad hoc tēpus post bellum Troianũ circiter bis mille sex-
centos. Inde progressi septētrionis oram ad Istulam cō-
pleuerunt. Nec de Henetis obscura sequor indicia. Gen-
tium origines præcipue ex appellationibus, & lingua iu-
dicātur. Quos vero hodie dicunt Venetos seu Venedos:
hos esse Henetos ostendunt appellatio & locus. Nā He-
netos in Illyrico, vbi manet appellatio Venedorũ, conse-
disse affirmat Herodotus. Deinde linguam Polonorum
congruere cum Illyrica manifestum est, & multarum vr-
biũ appellationes cognationē cum Polonis ostendūt:
Cum aut̄ in Asia genti Ionicę, quę sine vlla dubitatiōe,
omnibus nationibus toto orbe terrarum omni ciuili cul-
tu antecelluit, admixti fuerint Heneti: & postea in Euro-
pa Græcis: consentaneum est eos, & propter cœli ac re-
gionum temperiem, & consuetudinem humanissimę gē-
tis, & natura ad virtutem idoneos semper fuisse, ac disci-
plinam, & ciuilia officia intellexisse atq; coluisse. Potest
autem de naturis ingeniorũ optime ex doctrinarum stu-
dijs iudicari: quorum possessionem magna cum laude
tuetur Academia vestra, quę longo tempore præcipuũ
vniuer

vnīuersę Philosophiæ domicilium fuit. Nunc vero postq̄
vestri homines latinam eloquentiam admirari ceperūt,
adeo pure ac venuste multi apud vos scribunt, vt viri do
ctissimi in Italia, qui hanc veram scribendi rationē reno
uarunt, illorum genus dicendi maxime probent. Extant
.n. scripta Stanislai Hosij, Orichouij, Cromeri, & aliorū:
in quibus lineamēta Tullianæ dictionis comparent. Et
nuper editis tribus elegiarum libris, Ianitius Poeta præ
clarum sui specimē dedit. Nec vero barbaræ gentes, qui
bus natura repugnat, hanc scribendi elegantiam vel intel
ligere, vel assequi possunt. Sæpe igit̄ scriptoribus illis suc
censeo, qui nec nomen Henetum, nec linguam conside
rantes, fingunt recens effusam esse vestram gentem, ex
horrida aliqua septentrionis regione. Illud. n. verius est,
vos & Ionicæ & Græcæ gentis vicinos, progressos ex Illy
rico ad Carpathum, bonam Germaniæ partem quondā
occupasse: repressis ad ortum & septentrionem alijs bar
baris, qui hæc loca mitiora appetebant. Inde Venedicus
sinus, in quem Istula influit, nominatus est. Hæc meam
de gentis vestræ origine narrationem, non tanq̄ fabulo
sam recensui: vt Britanni se ab Hectoris filio ortos fin
gunt. Sed iudico veram esse: & perspicuis testimonijs cō
firmari posse. Clara est igitur antiquitas vestræ gentis.
Nam Heneti celebrantur Homeri carmine, & Herodo
ti monumentis: Et regnum vetus in Illyrico tenuerunt,
priusq̄ Romani Illyrico potiti sunt. Polibius. n. mentio
nem facit Regis Agronis & reginæ Teutæ. Postea reg
num in Polonia constitutum est, quod aliquot iam sæcu
lis reliquæ Europæ tanquā murus ac propugnaculū fu
it aduersus Tartarorum ac Turcarum irruptiones. Pro
his hone

his honestis certaminibus vestris, gratia vobis a reliquo
Christiano orbe debetur: qui utinam tandem, & vestro
& communi periculo, affici se ostēdat: & socia arma iun-
gat. Nos quidem grata voce prædicare merita vestra de-
cet. Quare libēter huic carmini gratulatorio has res in-
texui, quod auspicio tui nominis duxi edendum esse: cū
quā sæpe humanissimas significationes dedisti tuæ erga
me beneuolentiæ, pro qua vicissim hoc testimonium mei
in te studij extare debet: tum propterea, quod vnus om-
nium de literis bonisq; artibus optime mereris. nam ad
excolenda earū studia, nō solum hortaris ingenuos ado-
lescentes, sed etiam præmijs inuitas, tuæq; liberalitate in
publicis gymnasijs foues: quo nihil potest a te fieri præ-
clarius. His de causis scriptum hoc qualecūq; in tuo no-
mine apparet: quod si, ut spero, tibi erit gratū, virisq;
doctis non improbabitur: p̄t̄o a te, ut in clyto Regi
Sigismundo Augusto exhibeas, meq; ei cōmen-
des, precantem ex animo, & ipsi, & vniuerso
regno Polonię, ac Reipub: Christianę salu-
tarē tranquillitatē. Vale Mense Aprili

Anno.

M. D. XLIII.

Frankfordiæ ad Oderam.



DE I
POL
g

V

Dulci

Nunc

Cōcep

Grand

Caudia

Atria, c

Si vos r

Sepe co

Aspira

Fo

Istula

Nymp

Frigida

Montis

Ipsē sed

Carbale

Naiades

Quæq; la

Venit mo

Fama vol

Samatia

Esse mari

Ducere C

DE NVPTIIS INCLYTI REGIS
POLONIAE SIGISMVNDI AV-

gusti, & Elyssæ Cæsaris Ferdinandi filiaë,
Georgius Sabinus.

VOs mihi quæ puero Nasonis amabile carmen
Dulcia pegasei dictastis numina fontis:
Nunc sublime mihi carmen concedite vatis,
Cõceptum genuit quẽ Mincius Andide Nymphã.
Grandibus assurgens numeris, Hymenæia dicam
Gaudia: Sarmatici quibus exultantia regis
Atria, dant letos, vbi voluitur Istula: plausus.
Si vos rite puer colui, vobisq; dicatas
Sæpe coronauî fertis halantibus aras:
Aspirate mihi, cœptis fauete Camœnæ.
Forte sub vndosi muscoso gurgitis antro
Istula cæruleus tumidarum rector aquarum
Nymphis iura dabat, qua vertice Carpathus alto
Frigida Sarmatiæ prospectat iugera: cuius
Montis adusta rigent canis iuga summa pruinis.
Ipse sedens vrnamq; manu sceptrumq; tenebat,
Carbaseæ glauco pallæ velatus amictu:
Naiades circum fontanaq; numina stabant
Quæq; lacus, amnesq; colunt, vdasq; paludes.
Venit mobilibus cœli per inania pennis
Fama volans, letis quæ uocibus attulit istuc:
Sarmatiæ claris Augustum regibus ortum,
Esse maritali connubia foedere pactum:
Ducere Cæsarea natamq; propagine sponsam.

B Quas

Quas pater arreptis vt voces auribus hausit,
Protinus ex Nymphis formosam Callianassam,
Phyllodocemq;, Rhaninq; vocat, Crocalenq;, Tho,
Insignemq; comis oculisq; nitentibus Aeglen. Cenq;
Omnes pingere acu doctas, omnesq; peritas
Arguto tenues percurrere pectine telas.

His tum precipiens, rarum ac memorabile munus
Inquit adornandum sponso: nunc arte magistra
Est opus. ergo manu celeres incumbite Nymphæ,
Pictaq; rebus imaginibusq; aulea vetustis
Texite: Sarmaticosq; illic deducite reges:
Sponsus vt effigies, plæclaraq; facta suorum
Inde recognoscat, validis imitetur & armis.

Talia fecisset coetu cum verba soluto,
Haud mora: textricum cingunt ad pectora ritu
Collectas Nymphæ vestes, nudantq; lacertos.
Post hæc expediunt longas sub tegmine telas,
Intentæq; sedent operi, peraguntq; laborem.

Series hi
storiarū.

Primus falcato spectandus acynace Læchus
Texitur, argento fulgenti auroq; coruscus.
Læchus marte satus: quo non pugnacior alter
Regna Lycaonio tenuit subiecta Bootæ.
Ille vagam syluis eduxit in oppida turbam,
Claraq; Sarmatiæ tribuens cognomina genti
Læchidas, quorum gestabat sceptrâ, vocauit.
Torua viro facies: apicatum more Getarum
Tegmen habet capiti: cristaq; rubente decorum:
Barbaq; supremo labro riget hispida: pendet
Ex humero clypeus, qualem Telamonius Aïax
Gessit: Amafonia manus est armata securi.

Inde Pa

Inde P
Auguf
Additu
Diuitij
Pulfus
Meent
Cond
Quæ
Surgit
Vastur
Pingit
Sceptra
Sarma
Indent
Heu fr
Vulgat
Fecit, a
Occub
Quæ c
Innub
Manfit
At non
Illa fuit
Figere t
Frenden
Martia f
Laudibu
Quippe
Binacq; m
Corniger

Inde Palatini bis sex in sedibus altis
 Augusta grauitate sedent, populumq; gubernant.
 Additur his prisca Romanus origine Gracchus,
 Diuitijs ac Marte potens: qui rege sub Anco
 Pulsus in exilium, trabeati celsa Quirini
 Moenia deseruit: gelidamq; profectus ad arcton
 Condidit auspicijs illic foelicibus urbem,
 Quæ vetus a Gracch^o ducit Craccouia nomen.
 Surgit ad hanc urbem terrena mole sepulchrum
 Vastum, immane, ingens, quo conditus ipse quiescit.
 Pingitur in tela sæuissimus alter ab illo
 Sceptra gerens Lechus, qui solus vt arbiter esset
 Sarmatię, solus rerumq; teneret habenas:
 In densis syluis, vbi plurima lustra ferarum,
 Heu fratrem regni consortem cæde peremit:
 Vulgatoq; fidem patrias rumore per vrbes
 Fecit, ab immani diuulsum dentibus vrsu
 Occubuisse. subit scelerato Vanda tyranno,
 Quæ cū mille procis, quod erat formosa, placeret:
 Innuba virgo tamen casti sine labe pudoris
 Mansit, & ætatis ver intemerata peregit.
 At non foemineis calathis, non dedita molli
 Illa fuit lanæ: duris assueta sed armis
 Figere terribilem longis palearibus vrum:
 Frendentemq; suis excire cubilibus vrsam.
 Martia si quando fremuerunt classica, belli
 Laudibus insignes æquauit & Heroinas.
 Quippe Borysteniden, debellauitq; Gelonum:
 Binaq; magnanimo cum Teutone prælia fecit:
 Corniger ardebat victricis amore puellæ

xij. Pala
 tini.
 Gracch^o

0
 Lechus
 ij.

Vanda

B ij Istula

Stilico.

Istula, cumq; suo vidisset in amne lauantem,
Mollibus excipiens amplexibus abstulit illam
In vitreas sedes, thalamiq; in honore locauit.
Inde figurantur multi sine nomine reges,
Quorum fama iacet tenebris ac nocte sepulta.
Hosq; sub ignotos depingitur inclytus heros,
Qui fuit Ausoniae Stilico gratissimus vrbi.
Belligero cataphrattus equo fugientibus instat
Hostibus, ac fulgens auratis emicat armis:
Qualis ab occidua surgens nitet Hesperus vnda.
Et nunc victor agit Ruffini castra secutos,
Hunosq; Mysosq; sagittiferosq; Tomitas,
Prælia miscentes & acuta falce Gelonos:
Nunc premit Afrorum cæso Gildone cohortes,
Ingentemq; facit conuersa per agmina stragem.
Haud secus ac paleis vbi separat area fruges,
Triturante leues boue conculcantur aristæ:
Sic quacunq; ruit, prosternens conterit hostes.
Circumfusa iacent pallenti corpora leto
Tradita: purpureusq; cruor diffunditur aruis.
Cæsar ob insignes Theodosius ergo triumphos,
Deligit hunc generum sibi, connubioq; Serenæ
Ornat, & Aeneadis præfert socer omnibus vnum.
Additur armipotens iuuenis, qui dictus ab astu
Nomen Lesco gerit: Stiliconi sanguine iunctus.
Cæsareum sed ferre iugum, fastumq; superbæ
Italiae nequit, imperioq; subesse recusat.
Aspera martigenis hic bella Quiritibus infert:
Pannoniumq; armis iuuat auxiliaribus Hunnum
Tunc vbi Carnorum ferus occupat Attila sedes,
Teq; dat

Lesco.

Teq; dat
Vrbs, An
Primus c
Inicit in
Tristia c
Concul
Nym
Genser
Pingitu
Ducere
Hesper
Candid
Hercule
Subdere
Inde pro
Capta C
Hinc al
Omnib
Editus
Ardua
Scilicet
Et decre
Hic mer
Tertius
Bellaq; T
Post hun
Tergore
Occupat
Ipe feder
Auribus

Teq; dat excidio captam, pulcherrima quondam
Vrbs, Antenoreo foelix Aquileia Timauro.
Primus claustra manu reserat, portasq; refringit
Iniicit infandum victorq; penatibus ignem.
Tristia collucent diffusis moenia flammis:
Concussasq; domos, impendentescq; ruinas
Nympharum textura refert. subiungitur acer
Geferricus, & armorum fulgore coruscus
Pingitur, hastatos cuneos, clypeataq; secum
Ducere bellator sub fortibus agmina signis:
Hesperias æquare solo, quas spectat ab altis
Candida subiectas Pyrene rupibus, vrbes:
Herculeumq; citis transmittere classibus æquor,
Subdere & antiquas Tyriæ Carthaginis arces.
Inde profectus iter, maris emensusq; profundum,
Capta Quirinalis Romæ dare moenia prædę.
Hinc alacri vultu Lesconis imago secundi
Omnibus arridens, precioso intexitur ostro.
Editus obscura iuuenis qui stirpe parentum
Ardua conscendit magni fastigia regni.
Scilicet orba suo sedes vbi rege vacabat,
Et decretus erat de regno cursus equorum:
Hic meruit celeri victor suffragia cursu.
Tertius extincto succedit Lesco parenti,
Bellaq; Teutonibus facientes adiuuat Hunos.
Post hunc villosa deducitur horridus vrsi
Tergore Poppilius: quem turpis inertia regem
Occupat immodico baccho, somnoq; vacantem.
Ipse sedens inter cyathos, mollesq; puellas,
Acribus armorum præfert conuiuia curis.

Geferric⁹

Lesco ij.

Lesco iij.

Poppilius

B iij Nominis.

Poppilius. ij. Nominis eiusdem coniungitur ebrius illi
 Filius, ignauiq; simillimus omnia patris.
 Hunc scelerum poenas crudeli morte luentem,
 Infesti perimunt arroso corpore mures.

Pyastus Tum gestanda seni traduntur sceptrata Pyastor
 Qui cum iustitiae vindex, & cultor honesti
 Ellet, ab incuruo (nam rura colebat) aratro
 Pauper ad hos regni tantos ascendit honores.
 Indutus crudo stat adhuc perone, geritq;
 Agricolaë solito spaciosum more galerum.

Semouitus. Inde Pyastides trahit agmina Semouitus
 Aclidibusq;, sparibusq;, & acutis densa sagittis:
 Vandaliaq; domat populos, vrbesq; potentes
 Balticus arctoo quas alluit æquore Nereus.

Lesco. iiii. Ocia quartus agit Lesco, bellumq; perosus
 Sistit, & augustae sancit data foedera pacis.
 Nec minus extinctis amplecteris ocia bellis

Semomilaus. Semomilae: tuo tenebrasq; recedere nato,
 Excussaq; dari visum caligine gaudes.
 Editus ex vtero qui coecus, amabile solis
 Lumen, & æthereos nunq; conspexerat ignes.
 Consulis & vates, puero quid reddita coeco
 Lumina portendant: respice nsaq; lætus ab illis
 Accipis: insigni natum pietate futurum.

Mesco. Filius vt Mesco sceptrum suscepit auitum,
 De se vera probat dixisse, nec irrita, vates.
 Primus. n. Christum profitetur, primus adorat:
 Et veterum cultus abolet, ritusq; sacrorum.
 Nam tum Sarmatiæ reges idola colentes,
 Impia barbarico faciebant orgia ritu.

Cæsarís

Cæsarís
 Bulella
 Imper
 Subijc
 Includ
 Quas
 Te q
 Subd
 Alter
 Mefco
 Velat
 Punic
 Huius
 Vanda
 Qui co
 Excuti
 Heu p
 Sub q
 Pellit
 Indu
 Mox
 Perseq
 A quo
 Signa f
 Bulella
 Inq; fu
 Ingent
 Laudib
 Inferio
 Cheu c

Cæsarís ante pedes procumbit natus Othonís
Buleslaus, & imposito diademate regem,
Imperij se se gaudet sociumq; vocari.
Subijcit infracto domitos hinc Marte Bohemos,
Inclusumq; iugis Morauum, gentesq; rebelles,
Quas umbrosa vident gelidi pineta Silesi.
Te quoq; crudeli vastat Pomerania bello:
Subdita quæq; iaces argenti Prussia celo.
Alter at ignauo similis, similisq; puellæ
Mesco figuratur: mollissima purpura corpus
Velat: Erythreis ornatur pectora gemmis:
Punicei includunt & leuia crura cothurni.
Huius molliciem, vitamq; perosus inertem
Vandalus, arma capit: capit arma Bohemus, & acer
Qui colit Austriacæ Morauus confinia terræ:
Excutiuntq; iugum, noluntq; subesse Polonis.
Heu pudet ignaui quantum te Sarmata regis,
Sub quo triste potens fecit respublica damnum.
Pellitur incoelix patrijs Casimirus ab oris
Indutoq; facit monachorum vota cucullo.
Mox e coenobio reuocatur, & arma capeffit:
Persequiturq; trucẽ violento Marte tyrannum,
A quo pulsus erat, regnoq; exutus auito.
Signa feris infert Hunnis, prædamq; secundus
Buleslaus agit domito bis victor ab Istro.
Inq; fugam turmas Morauorum vertit equestres:
Ingentiq; Scythas & Alanos cæde trucidat.
Laudibus armorum nullis heroibus esset
Inferior: si non diro correptus amore
(Heu scelus execrandum, heu detestabile crimen)
Incalu

Buleslaus

Mesco ij.

Casimir

Bulesla. ij.

Incaluisse equæ: Tyrio quam murice cultam,
 Legiferi taurum Minois vt vxor: amauit.
 Ac te diue nisi pia Stanislæ monentem
 Sacras obtruncasset acynace crudas ad aras.
 Ergo terrificis oculis, vultuq; minaci,
 Sacrilegum pingunt Nymphæ simulantq; tyrannū
 Cæde suas scelerare manus: in frustra q; sectos
 Proijcere alitibus canibusq; rapacibus artus.
 Nulla sed impietas manet impunita: tyrannus
 Ecce solum, tristi vexatus Erynnide, vertit:
 Exul & a canibus flauum laceratur ad Istrum.
 Huic animo mitis, seuæq; tyrannidis expers,
 Vladislæ subis: pugnacem strenuus acri
 Marte Quadum, sed iusta coactus ad arma: fatigas
 Cassubium duris & cladibus afficis hostem.
 Rebus in aduersis vicino tertius Hunno
 Buleflaus opem signis victricibus affert:
 Cogit & augustas illinc dare terga volucres.
 Nauigat inde legens Arctoum classe profundum,
 Deuictisq; edit naualia prælia Cymbris.
 Candida pandentes concurrunt vela carinæ:
 Duraq; missilibus fiunt certamina telis:
 Armamenta natant collisq; rostra per vndas,
 Transtraq; puniceoq; rubescunt sanguine fluctus.
 Læta Polonorum classem fortuna tuetur,
 Præpetibusq; volat circum victoria pennis.
 Alter agit turmas hinc Vladislaus equestres:
 Funestumq; mouens proprio cū sanguine bellum,
 Sæua suis infert germanis arma tyrannus:
 A quibus ipse tamen C sic arbiter impia regum

Vladisla-
us.

Bulefla
us iij.

Vladisla.
ij.

Punit

Punit
 At tu
 Bulefla
 Cæsar
 Illius
 Tert
 Mel
 Lug
 Sule
 Com
 Abr
 Qua
 Libe
 Quir
 Nun
 At d
 Abl
 Luc
 Tra
 Fat
 Ac
 Fur
 Nar
 Der
 Cul
 Sic
 Irru
 Sar
 Co
 Hi

Punit facta deus > patrijs expellitur oris.
At tu quarte gerens cristata casside pennas
Buleslae, manus cum Cæsare signaq; confers:
Cæsare, cui nomen dedit ænea barba: nec horres
Illius inuictas vires, animumq; ferocem.
Tertius iniustis dum vectigalibus vrbes
Mesco suas onerat: solio deiectus ab alto
Luget, & amissos regni suspirat honores.
Suscipit eiecto Casimirus fratre secundus,
Commisissq; sibi régit inculpatus habenas.
Abrogat iniustas leges, rescindit iniqua
Quæ fecere truces olim decreta tyranni.
Liberat & censu populum, laxatq; tributis.
Quintus Lesco facit diuerso prælia casu:
Nunc patrum vincit, patrum nunc vincitur armis.
At dum nudus agit, corpusq; tepentibus vndis
Abluit, in foelix rigida transfigitur hasta:
Lucis & vsuram crudeli vulnere reddit.
Traditur imperium post tristia Buleslao
Fata patris: magnas hoc rege Polonia clades
Accipit a trucibus Scythiæ prædonibus istis,
Furua quibus dirum fecerunt tartara nomen.
Namq; velut septem stagnantis ad ostia Nili
Densa locustarum nubes se concitat alis:
Cultaq; deuastat plorantibus arua colonis:
Sic vagus a Tanai, Scythiæq; paludibus hostis
Irruit, effuso populatur & agmine latos
Sarmatiæ campos: captiuq; corpora ducit:
Corpora nodosis loris & vinceta cathenis.
Hinc tuus affectat regnum Masouia princeps,

Buleslaus
iiij.

Mesco iiij.

Casimir⁹
ij.

lesco v.

Buleslaus
v.

C Obsidet

- Lesco vj.** Obsidet ac veteris Conradus mœnia Grachi:
 Teutones at sexti Lesconis iura tuentes,
 Obsessis pellunt infestum mœnibus hostem.
 Amplaq; spectatæ virtutis præmia grato
 A Lescone ferunt:is nam decernit, vt ipsam
 Gracchi nemo regat, soli nisi Teutones, urbem.
- Henric⁹** Conserit Henricus pugnam, victoq; triumphat
 Hoste: sed incauto dirum bibit oré venenum,
 Quo miser ante diem perit, efferturq; pheretro.
 Inde Bohemorum fortissimus arma lacessit
- Primisla⁹** Infestatq; ducem rex Primislaus Othonem,
 Marchia progenuit quem flumine mater Hauelo.
 At dum læta parat motis conuiuia signis,
 Securus poto cum milite Sarmaticus rex:
 Improuisus adest per opacas Marchio syluas,
 Castraq; nocte subit multo sopita lyæo:
 Stertentemq; capit regem, captumq; trucidat.
- Vencella.** Vencellus adit regnum, sceproq; potitus
 Mænalio certos compescit Pannonas arcu:
 Et gerit Alberto durum cum Cæsare bellum.
 Aequa sed indomitis populis dat iura duobus:
 Quos & Sarmatiæ gelido sub sydere tellus,
 Hercynioq; tenet præcincta Bohemia saltu.
- Vladisla.** Tertius argenti rex Vladislaus ab arcto
 Educit Litauos: & Alanos: agmine quorum
 Humida Marchiacæ deuastat iugera terræ:
 Mox & victor abit spolijs, & cæde peracta.
- Casimir⁹** Filius Augustæ Casimirus pacis amator,
 Suscipit extincto regalem patre coronam:
 Et cum Marchiacis populis in fœdera transit.

Regnaq;

Regna
 Et rep
 Certat
 Præto
 Quin
 Ponit
 Qua
 Mag
 Pann
 Inq;
 Amp
 Legit
 Post h
 Qui g
 Pæon
 Nec v
 Mag
 Hic
 Corp
 Equ
 Ipse f
 Et do
 At pr
 Prop
 Vladis
 Diuor
 Ergo p
 Præci
 Indige
 Erigit

Regnaq; facta diu latronibus inuia, purgat:
 Et reprimat cædes, & legibus arma coerces:
 Certa q; constituit dubijs fora litibus, æquus
 Prætor vbi dicat Germanica iura Polonis.
 Quin & turrigeris Gracchi sub moenibus amplam
 Ponit, & ipse suo de nomine nuncupat, urbem.
 Quattuor externos & eodem tempore reges.
 Magnificis epulis lautissimus excipit hospes:
 Pannoniæ, regēq; Cypri, regemq; Quiritum,
 Inq; procelloso dominantem marmore Danum.
 Ampla dat Ausonio regi quoq; dona: suamq;
 Legitimo thalami coniungit foedere neptem.
 Post hunc Sarmatiæ Ludouicus frena capescit. Ludouic⁹
 Qui genus a prisco se Pæone ducere iactat:
 Pæone, cæruleus regnum cui subdidit Ister.
 Nec virtute tamen minus est, quã sanguine, clarus:
 Magno victor agit Litauos certamine fusos.
 Hic duo foeminei Ludouicus pignora sexus,
 Corpore præstanti castoq; pudore, relinquit:
 E quibus, egregia Litauus de stirpe Iagello
 Ipse sibi iungit tedis solennibus vnam:
 Et dotale capit nupta cum virgine regnum. Iagello q
 At prius abluatur cœlestis fonte lauacri, & Vladisl
 Proq; Iagellonis sibi nomine nomen adoptat
 Vladislæ tuum: namq; impius ante nefandos
 Diuorum cultus, & barbara sacra colebat.
 Ergo pia Christum nunc relligione professus,
 Præcipit excindi lucos: anguesq; necari
 Indigenæ Litauū quos numinis instar adorant.
 Erigit instaurans & dulcibus atria musis

Acade-
mia Cra-
coviensis.

Vladisla⁹
v.

Hic, vbi flauentes celer Istula voluit arenas.
Rege sub hoc vertunt infestis terga Polonis
Candida qui gestant Mariani pallia fratres:
Innumeriq; cadunt aduerso Marte perempti.
Se vidisse negat Thrasimeneus, & Allia tantam,
Accipit infœlix hic quantam Prussia: cladem.
Haud secus, ac niuibus madet hūida terra solutis,
Dura relaxantur cum frigora tempore veris:
Sic vndante natat cæsorū sanguine campus.
Ipse triumphalem prostrata per agmina curram:
Letus agit victor: spolijsq; exultat opimis.
Iamq; senex reddit languenti corpore vitam:
Et sua sceptrā puer tibi Vladislæe relinquit.
Egregia vero tu præditus indole mentis
Indigenas tanta populos cum laude gubernas,
Te quoq; Danubij declaret vt accola regem.
Ergo amplis opibus, fretusq; potentibus armis:
Ipse tuis annis maioraq; viribus audes.
Ingressus Macedum numeroſo milite fines,
Ponis in Orphæi tentoria saltibus Aemi.
Non te nubiferæ rupes, non sæua retardant
Frigora, quæq; cadunt altis de montibus amnes:
Donec Amurathes ad Varnam Turca paludem
Te cohibens tandem victricibus exiit armis.
Bis tamen impulsos, cogis dare terga, bis hostes
Disiicis: ante tuo vitam quam sanguine fundis.
Heu miserande puer: te clara Borystene tellus,
Te cum Danubio pater Istula luget ademptum:
Limosoq; gemunt Varnæ sub gurgite Nymphæ.
Post ducis interitum, funestaq; prælia, tradit

Regia

Regia S
Hic vero
Cincta g
Aut ver
Setiger
Rhiph
Nec ta
Occup
Tu sub
Ducis
Vlturu
Abstu
Etiam
Terga
Cum g
Ne pra
Tristi
Nam
Dule
Edit
Gym
Corpe
Nuc p
Claude
At no
Seria
Fortib
Proxi
Terra
Rhiph

Regia Sarmatiæ Casimiro scepra senatus,
Hic vero nemorum studiosus, tempora quercu
Cincta gerit, latoq; tenens venabula ferro,
Aut venator agit pauidos in retia cæruos,
Setigeros aut figit apros: comitantur euntem
Rhiphæiq; canes, armillatiq; Molossi.
Nec tamen armorum præfert venatibus artès:
Occupat ereptas Marianis fratribus vrbes.
Tu subis inde patri, magnumq; sub arma coactum
Ducis, Ioannes Alberte binominis, agmen.
Vlturusq; necem patru, quem Varna peremptum
Abstulit: instauras in sæuos prælia Turcas.
Et iam signa moues, iam barbara vertere cogis
Terga, sagittifero Dacos & Iasygas arcu:
Cum grauis affligit te morbus & eximit æuo,
Ne præsentis agas suscepta negotia belli.
Tristia lugubres faciunt tibi funera musæ:
Nam tu Callimachum, genuit quæ Tuscia, vatem
Dulcia Pieridum tangentem plectra fouebas.
Edit Alexander varijs spectacula ludis:
Gymnica nunc leuibus certamina ponit ephœbis,
Corporis exercent agili qui membra palæstra.
Nunc pugne simulachra ciet sub equestribus armis,
Gaudet & in circo concurrere grandibus hastis.
At non hostili sine sanguine ludicra semper,
Seria sed miscet duris quoq; prælia martis.
Fortibus vlciscens armis periuria Mosci,
Proxima nimbofo Boreæ loca cædibus implet:
Terrarumq; vagos Scythica de gente latrones
Rhiphæos vltra montes, Tanainq; repellit.

Casimiro
rus iij.

Ioannes
Albertus

Alexander

C iij Hinc

Sigismū
dus.

Hinc ætate grauis dat regia iura Polono,
Cana Sigismundus diademate tempora cinctus:
Muscorumq; ducem, qua flaua Borystenis errat
Vnda, rebellantem memoranda clade coerces.
Victor Hyperboreæ compescit & agmina gentis,
Taurica quam tellus pharetratae culta Dianæ
Educat, humanæ gaudentem sanguine cædis.
Nec minus a patrio digressum limite Dacum
Arcet, & edentem crudelia funera, sternit
Hic, vbi spumoso per inhospita saxa volutus
Labitur amne Tyras, dirimensq; rapacibus vndis
Sarmatiæ fines Dacorum separat oris.
Quin parere sibi veteresq; subesse Borussos
Cogit, odora legunt qui succina nata profundo.
Inq; suam redigit ditionem, quicquid habebat
Inelyta nobilitas Germani sanguinis illic.
Ecce autem tristem defuncta coniuge luctum
Percipit, Hunnorum veteri quam sanguine cretam
Carpathis ediderat prope fontē Nympha Tybisci.
Iamq; suæ postq; consorti iusta peregit,
Vritur igne nouo: fixusq; cupidinis arcu,
Dulcia Sphortiadōs connubia virginis ambit:
Inter Iapygias qua pulchrior altera Nymphas
Non fuit, aut animo præstantior: esse fatetur
Hanc sibi consilio Iouis edita vertice Pallas,
Ore Venus, grauitate parem saturnia Iuno.
Ducitur in thalamum regali nupta paratu:
Qualiter Aemonio Nereia sponsa marito
Est adducta Thetis: nuribus comitata latinis
Turba puellarum sequitur, quas Daunia tellus,

Barbara

Bona

Priscaq;

Priscaq; n
Ornatæ a
Paruus a
Sceptra
Qui ten
Candid
Ludit,
Idem fi
Excipit
Cæsare
Regibus
Edidit, a
Astat v
Blandac
Sarmati
Finxerun
Imposu
Nexilib
Erg
Hoc ve
Illicet v
Altaq; C
Illuc don
Romulid
Denis p
Cinctus:
Naribus
Herenter
Humida
Cuius nex

Priscaq; miserunt longinqui mœnia Barrî:
Ornatæ auratis incedunt vestibus omnes.

Paruus ad extremum puer his intexitur actis,
Sceptra Sigismundus regni gesturus auit:

Qui teneras inter forma præstante sorores,
Candida circumdans materno brachia collo,
Ludit, & Augusti cognominis omine gaudet.

Idem florentes iam puber vt induit annos,
Excipit amplexu consortem sponsus Elyssam:

Cæsareos quæ monstrat auos, ducitq; paternum
Regibus orta genus, quos ditibus Austria terris
Edidit, ac rerum dominos Germania fecit.

Astat vinctus hymen fertis: amor astat honestus:
Blandaq; formosam comitatur gratia nuptam.

Sarmatiæ cunctos huc vsq; ab origine prima
Finxerunt Nymphæ reges, operiq; supremam
Imposuere manum: pars cingitur vltima telæ
Nexilibus folijs hederæ, atq; virentis Acanthi.

Ergo Nympharum labor ac solertia postquam

Hoc vetus auleis intexuit argumentum:

Illicet vndanti pater Istula surgit ab antro,

Altaq; Carpatheis sub rupibus atria linquit:

Illuc dona ferens, turrîta vbi mœnia surgunt,

Romulides quorum posuit fundamenta Gracchus.

Densis progreditur cannis, & fronde saligna

Cinctus: & attollit roranti cornua vultu.

Naribus vnda fluit, madidis fluit vnda capillis:

Herentemq; rigant vligine flumina barbam:

Humida cæruleo velamine membra teguntur,

Cuius nexa sonant picto conchylia limbo.

Prosequit̃

Sigismun
dus Au
gustus.

Elyssa

Finis hi
storiarū.

Prosequitur totus Nympharum coetus euntē,
 Quaq; pedes, vdoq; mouet vestigia gressu,
 Naiades spargunt flores, ac ferta Napeæ.
 Iamq; propinquabat regali spumifer vrbi,
 Cum procul impulso resonare frementia cœlo
 Tympanaq; raucisq; tubas clangoribus audit:
 Ac videt insignes illinc fulgentibus armis
 Teutonas, hinc patrio clypeatos more Polonos
 Comminus accelerare, & equestres pãdere turmas.
 Consistit viridi decliuus margine ripæ,
 Vestigatq; oculis inter tot millia sponsum:
 Quem sonipes gemmis & multo splendidus auro
 In medijs portat turmis, aurata sequentem
 Effeda, nupta quibus sedet, inuehiturq; per agmen.
 Talibus inde suum compellans Istula verbis
 Affatur regem: sponfamq; salutat Elyssam.
 Salue virginēi decus inclyta Nympha pudoris,
 Sarmaticī consors, Romani filia regis:
 Hasq; meo late quas irrigo flumine terras,
 Ingredere auspicio fausto: di læta cubilis
 Gaudia, fortunentq; tuæ connubia tedæ.
 Tu (si vera mihi nec rettulit irrita quondam,
 Nosse futura senex qui creditur omnia Proteus)
 Tu dabis heroum claros paritura nepotes,
 Qui superent fama proauos: qui fortibus ausis
 Ardua Sarmatiæ tollant ad sydera nomen:
 Victa triumphantes validis quos sentiet armis
 Turciã: quosq; tremens horrescet Caucasus: ergo
 Tanta tuus cunctis aduentus gaudia rebus,
 Vt montana fremant lætis iuga plausibus: affert.

Oratio
 Istulæ ad
 spōsam &
 Regem.

Vocibus

Vocibus alituum resonat mea rīpa canoris,
Inflatīsq; leues Satyri modulantur auenis
Carmina: nosq; tibi gratamur ouantibus vndis.
Tu quoq; rex animi præstans, qui clara parentis
Aeneadæq; refers Augusti nomina: salue.
At miranda tibi Nympharum munera sponso
Ecce fero, regum intextis ornata figuris.
Munera, quæ precio gemmas, quæ nobile vincunt
Lydia quod gignit, quod Pannonia terra, metallū.
Qualiter Aeneæ clypeus monumenta Quiritum,
Hæc ita maiorum referunt monumenta tuorum.
Hinc imitanda petas exempla domestica vitæ:
Te seu læta quies pacis, seu bella manebunt.
Scipio si statuas quando spectabat auorum
Incensus magno virtutis amore flagrabat:
Quos tibi virtutis stimulos, illustria regum
Hæc simulachra, istis efficta tapetibus: addent?
Aspice Mesconem, pugnaces aspice Læchos,
Quos toga, quos acris commendat gloria martis.
Hos propone tibi morum, vitæq; magistros:
Hos contende duces longo præcedere cursu
Laudis. at inprimis reges de stirpe Iagella,
Atq; Sigismundum factis imitare parentem.
Nulla quidem virtus est principe dignior, ardens
Quam pietatis amor: quocirca ante omnia curam
Relligionis agas, & propagare memento
Hunc, sacra quo gaudet Christi respublica, cultum.
Iura deinde tuis sapienter vt æqua ministros
Ciuibus: officium poscit munusq; regendi.
Namq; deus celsa reges in sede locauit,

D

Ac tan

Ac tantis opibus, tantis & honoribus ipsos,
Auxit: iustitiæ quo sint legumq; ministri,
Attenti & caueant, ne turpi cedat honestum:
Neue relaxentur scelerato frena furori.
Clemens esse bonis debes, & fontibus atrox:
Aequat. n. superis animi clementia reges.
Ardua magnarum si quando negotia rerum
Sunt tractanda, viris prudentibus utere: ne quid
Inconsultus agas. nec te dulcedine captum
Fallat, & illecebris ad inertem blanda voluptas
Desidiam, mollis traducat & ocia vitæ.
Acres namq; tibi populos fortuna regendos
Commisit, cœlo quos frigida despicit arctos:
Duratosq; gelu quos martius excitat ardor.
Non ignaua ferunt hi desidis ocia regis.
Adde quod effrenis es gentibus vndiq; septus:
Hinc Scythiæ Nomades tibi bella minant, & illinc
Hostis ab infesto Mahometicus imminet Istro:
Sæuaq; molitur violentus prælia Moscus.
Ipse tot indomitis populis es præda futurus,
Si tua torpuerint ignauo pectora luxu.
Strenuus ergo geras animum curamq; virilem:
Nilq; prius virtute putes: hæc regna tuetur.
Turpis auaritiæ quoq; detestabile crimen
Effuge: nullus enim reges non odit auaros.
Nec tamen in cunctos effundas prodigus aurum:
Debita munificus virtuti præmia confer.
His da largus opes, qui martia signa secuti
Ob patriam duris adiere pericula bellis.
Quiq; nouem claris Musarum dotibus auctis

Ingenio

Ingenio
Nam la
Quæ
Plura
Teq;
Ergo
Hæc
Sic t
Tedi
Sic vo
Iung
Hæc
Istula
Rex a
Inde r
Omni
Hym
EC
DE
Scrip
Acc
Lac
Insub
Quam
Et Ly
Illybi
Compu

Ingenio præstant alijs linguaq; disertâ.
Nam largis opibus debent a rege foueri,
Quæ sacra virtutis seruant cunabula Musæ.
Plura monendus eras: volucrum sed mater amorû,
Teq; sacras expectat Hymen ducturus ad aras.
Ergo detineam ne te, remorerq; loquendo:
Hæc agedum læto nunc accipe munera vultu:
Sic tibi, consortiq; tuæ, fœlicibus adsit
Tedi fer auspicijs, cui sunt connubia curæ.
Sic vos a' ma suo genitrix Aeneia cesto,
Iungat & æternis concordia nexibus ambos.
Hæc pater oblato cum munere verba dedisset
Istula, conticuit: caput occuluitq; sub vndis.
Rex accepta ferens Nympharum munera secum,
Inde recedebat ductis ad mœnia turmis.
Omnis at ore fremens populus, plausuq;, per urbem
Hymen o hymenæe hymen hymenæe sonabat.

ECLOGA GEORGII SABINI
DE GALLO AD TICINVM CAPTO,

Scripta ad magnificū virū Stanislauum a Lasco
Poloniæ Baronem.

Lycidas, Aegon.

Accipe syluestri tenerum quod arundine carmē
Lasce tuus cecinit frondente sub ilice vates,
Insubriæ tristem referens de clade querelam,
Quam duo pastores habuerunt: Italus Aegon
Et Lycidas huius notissimus incola terræ.
Illi vbi caprigenum pecus ad vada fluminis ambo
Compulerant, Lycidas prior est sic ore locutus:

- L.** Edite Mantois quid agis pastoribus Aegon ?
 Frondentes inter salices ubi serpit Haelus
 Cinctus arundinibus creberq; palustribus vluis:
 Nostra quid hic tondent Andinae rura capellae ?
- Ae.** Exul ago o Lycida, patrijsq; fugatus ab oris,
 Herbiferos colles & florida pascua liqui:
 In quibus argutas inflauit pastor auenas,
 Qui patulae fagi sub tegmine lentus in umbra
 Formosam docuit resonare Amaryllida syluas.
- L.** Quae natale solum te vertere causa coegit ?
 Dura ne pauperies : an mens non conscia recti ?
- Ae.** Me neq; pauperies, vllum neq; crimen abegit:
 Nam me faunigenis Meliboeis gloriator ortum.
 Illic iura dabam pecorum legesq; magistris,
 Tecta q; flauenti spaciola mapalia culmo,
 Centum clausa quibus stabant armenta: tenebam.
 Quin mihi cultus erat, plenusq; leguminis, hortus:
 In quo praeter olus, vescumq; papauer, habebam
 Alliaq; maluasq; & odoriferum serpyllum.
 Nec spirantis eram Boreae venturus ad arcton
 Me fera monstra nisi patria de sede fugassent.
- L.** Heu sorte indigna: sed quae fera monstra fugarunt,
 Teq; coegerunt patrios mutare penates ?
- Ae.** Expediam paucis, atq; ordine singula pandam,
 Iniucunda licet mihi sint & acerba relatu.
- L.** Incipe sed nobis ne forte loquentibus aestus
 Sit grauis: his mecum succede virentibus umbris.
 Arboris hic densae praebent umbracula frondes:
 Letaq; se vario tellus hic flore coronat.
- Ae.** Est procul, obliquis ubi Sequana flexibus errat:

Regius, h
 Vsq; me
 Aurea v
 Quae C
 Haud r
 Crista
 Multu
 Ergo q
 Martiu
 Angui
 Inlubr
 Angue
 Gallus
 Cum co
 Concip
 Huc, v
 Terga
 Eridan
 Ticinu
 Matur
 Floren
 Dirus
 Veloc
 Cornea
 Non po
 Nec mi
 Vignib
 Tanta
 Vos o n
 Et nem

Regius, Hesperidum quo nullus arcanior: hortus Allegori-
 Vtq; meus quondā mihi rettulit hospes Amyntas, ca descrip-
 Aurea vernanti surgunt ibi lilia campo: tio Gallie
 Quæ (velut Atlantis custos pomaria serpens)
 Haud minor armigero seruat Iouis alite Gallus.
 Crista rubens illi, pictæq; coloribus alæ:
 Multum plaudit ouans quibus, elatusq; superbit.
 Ergo quid ille mali pastoribus attulit ales? .L
 Martius extremis erat in confinibus horti. Ae.
 Anguis, ad Eridani viridantes gramine ripas: Dux Me-
 Insubriæ custos terræ, sinuosior illo diolanen.
 Anguē, Lycaoniam qui circum elabitur arcton.
 Gallus in hunc ardens odio (nam mutua semper
 Cum colubris ineunt cristatæ bella volucres)
 Concipit horribiles iras: mox tollitur alis
 Huc, vbi nubifera prospectat ab alpe rubentem
 Terga volubilibus conuoluere nexibus anguem.
 Eridani campos deuastat, agrosq; feraces
 Ticinus vitreo quos lucidus amne pererrat.
 Maturas segetes, reseccandaq; farræ colonis,
 Florentesq; solo radicitus eruit herbas.
 Dirus & in pecudes armenta q; sæuijt ales:
 Velocem non cursus equum, potuitue tueri
 Cornea quæ duro præfigitur vngula ferro:
 Non potuere truces defendere cornua tauros.
 Nec minus agricolas, armentorumq; magistros,
 Vnguibus arripuit, rostroq; peremit acuto:
 Tanta fuit rabies ac tanta ferocia Galli.
 Vos o montiuagi pastorum numina Panes, L.
 Et nemorum colitis qui tesqua virentia fauni:

Vos talem nostris terris auertite Gallum
 Ae. Tandem Vindelici ex Alpibus aduolat istuc
 Alituum regina, Ioui quæ tela ministrat
 Hæc ubi funesta pastorum strage superbum
 Ad vada Ticini Gallum offendisset euntem:
 Ecce coloratas quatit atro fulmine pennas,
 Cristatamque inuadit auem: contraria pugna
 Gallus bella mouet totis conatibus: ac vi.
 Horrida committunt ut iniqui prælia venti,
 Alter ab occasu quando ruit, alter ab ortu:
 Luctantesque fremunt, explosaque fulmina torquent:
 Haud secus indomito concurrunt Marte volucres.
 Quippe suis instant armis, & utrinque fatigant
 Nunc se vulnificis rostris, nunc unguibus unctis:
 Donec ad extremum longo certamine Gallus
 Frangitur, amittens euulsas corpore plumas.
 Tunc aucta insigni volucrum regina triumpho
 Subuolat, & crista Gallum plumisque carentem
 Sistit ad Herculeas Gades, ubi maximus Heros
 Carolus Alcidae victricibus æmulus armis,
 Geryonis populos ac Betica regna gubernat.
 L. O Iouis optatam vobis, ac numinis instar
 Semper honorandam volucrem pastoribus Aegon,
 Sublato æternam quæ reddidit alite pacem.
 Ae. At mox ille redit Lycida, plumisque renatis
 Noua ex prædam factus agit multo crudelior ales.
 peditio Auxiliumque ferens illi procul aduenit Vrus,
 Galli in Seuior indomitis bobus, quas Aesone natus
 Italiam. Phasidos ad ripas iuga ferre coegit aratri.
 Aduenit infrendens & acutis dentibus Vrsus:

Informis

Informis
 Incolit
 Tum ver
 Antra p
 Tum pa
 Mascos
 Cerner
 Sustine
 Mincius
 Deniq
 Aurico
 Arboris
 Ergo vb
 Ipse pro
 Desero,
 Exul & h
 Tres ni
 Degim
 Si libet
 Sunt m
 Cerea v
 Et iam r
 Incipiun

Informis villis Vrsus, quo nulla ferarum
Incolit Heluetiæ rigidas violentior Alpes.
Tum vero fugiunt omnes, laribusq; relictis
Antra petunt, sese nemorumq; recessibus abdunt.
Tum pater Eridanus taurino cornua vultu
Mascosumq; caput flauentibus occulit vndis:
Cernere Ticinus nec tristia damna suorum
Sustinet: ac trepida formidine Mincius horret,
Mincius argutos qui flumine nutrit olores.
Deniq; tum lugent affecti cladibus horti
Auricomæ Sirenis, vbi redolentia spirant
Arboris amittunt quæ nunq; citria florem.
Ergo vbi iunxerunt se monstra ferocia Gallo,
Ipse procul fugiens Cadmeæ pascua Mantus
Desero, ne fiam crudeli præda volucris.
Exul & huc venio rerum nunc omnium egenus,
Tres nisi quod mecum macilentas duco capellas.
Degimus hic inopem tecto sub paupere vitam:
Si libet, o nostris succede penatibus Aegon.
Sunt mihi tosta domi non acribus oua fauillis,
Cerea vimineis seruataq; pruna canistris.
Et iam rore madent herbæ, subituraq; noctis
Incipiunt altos operire crepuscula montes.

Vrus et vr
sus insignia
Heluetio

Neapolis
obsessa.

L.

AD P. BEMBVM ROMANAE
Eccl. titulo S. Chryfogni Cardinalem
Georgji Sabini. Elegia I.

NVntius Ausonia qui venit ab vrbe Quirini,
Huc tua Bembe mihi verba legēda tulit:
Vrbs qua Danubij flauentib. adiacet vndis,
Veliuolæ clarum nomen adepta ratis:
Nunc vbi sceptrigeri diuo cum Cæsare Reges,
Pax vt in Europa constituatur, agunt.
Non ita gaudebat qui tristia carmina vates
Ad maris Euxini condidit exul aquas
Dulcibus accipiens ab amicis quando salutem,
Legit honorati verba diserta viri:
Vt iucunda mihi diffudit epistola vultum,
Non dubiam fecit quæ mihi lecta fidem
Nomen inoblito te pectore ferre Sabini:
Ex animo necdum me cecidisse tuo.
Infinita dedi iucundæ basia chartæ,
Læticiam gestu testificante meam:
Atq; ita, dispeream tristi modo funere, dixi,
Hac mihi grata magis littera siqua fuit.
At quod agis mecum, fera dum discordia serpit,
Quæ summi lacerum carpit ouile Dei:
Ne grauer afflictis fidei succurrere rebus:
Et placidæ studium pacis vt ipse iuuem:
Non his sufficio quamuis ego rebus agendis,
Estq; meis impar viribus istud onus,

Omnes docte tamèn conatus Bembe parabo:
Ipse quibus paci consuluisse queam.
Vulnera diffidij qua conuenit arte leuabo:
Summaq; cura mihi religionis erit.
Ac nisi restituet concors modo gratia pacem,
Obruet heu nostrum quanta procella caput?
Sentiet hostilem discors Germania Turcam,
Et magni amittet nominis orba decus.
Quin hæ diffidijs labefactæ tristibus artes,
Funditus euersa cum pietate ruent.
Iam mea, quæ vario celebrabat carmine Reges:
Territa fatali tempore Musa silet:
Vt, Notus insano syluas vbi turbine perflat,
Daulias occluso gutture moeret auis.
Atra sed obducunt non semper nubila cœlum,
Ire solet pulsa nube serena dies.
Horrida tempestas nec tempore sequiet omni,
Quæ modo perturbat commoda nostra malis.
Hos Deus optata sedabit pace tumultus:
Cæsare tranquillos efficiente dies.
Musica tum rursus me tangere plectra iuuabit:
Carmina quæq; legas, his meliora: canam.

AD LVDOVICVM BECCATEL
LVM BONONIENSEM,
Elegia II.

SOL duodena regit qui signa volubilis anni,
Signiferi medium pene peregit iter:
E Ex quo

Ex quo Danubij gelidum flauentis ad amnem,
Hic procul a patria sede remotus ago.
Iam desiderio me flebilis afficit vxor,
Pignore quæ nostri dicitur orba tori,
Tristibus & lachrymis natam lugere sepultam:
Eius ab vberibus quam fera parca tulit.
Ergo vbi roriferæ noctis dimouerit vmbra
Candida lucifero cras oriente dies,
Hospita Boiorum discedens arua relinquam:
Et patriæ repetam dulcia rura meæ.
Cæsar inutilibus terat hic conuentibus æuum:
Tædia me cogunt longa redire domum.
At mihi quem concors animorum gratia iunxit,
Docte sodalitiij pars Ludouice mei:
Quæq; velut Pyladen Agamemnone natus, amaui:
Iamq; dolens tristi corde relinquo: vale.
Diuidimur vastis terrarum tractibus ambo:
Viuere quam vellem nos propiore loco.
Nubifer his longe iacet Appenninus ab oris,
Sub gelidis cuius natus es ipse iugis:
Aemilioq; nimis distat procul Odera Rheno:
Odera flauentes accolo cuius aquas.
Forte Lycaoniam nunquam rediturus ad arcton,
Conspities oculis lumina nostra tuis.
Ecquid enim veteri regnata Tuistone tellus,
Huc retrahat gelidã te quod ab arcton, habet?
Non, vt in Italia, cultis hic myrtus in hortis,
Non citrio fragrans spirat odore nemus.
Frondea crescenti tentoria surgere buxo,
Eg; maris nusquam rore theatra vides,

Cerea

Cerea sed tantum vel pruna, vel educat vuas,
Si quis habet raras cultior hortus opes.
Tu quoque, magna licet Romæ mihi cura videndæ:
Vix oculis posthac conspiciere meis.
Non ego ferre graues æstus sub sole recuso:
Non me longinquum carpere tædet iter:
Nec calcare niues piget: aëriaque per alpes
Inuia præruptis scandere saxa iugis.
Sed thalami consors, sed dulcia pignora lecti,
Me procul a patrijs sedibus ire vetant.
Ante tamen viuus mea spiritus ossa relinquet:
Absentis nequeam quam meminisse tui.
Ipse meos inter numerabere primus amicos:
Vsq; adeo tecum viuere dulce fuit.
Redde vicem, & lōge tepidum submotus ad austrū,
Tu memori nostrum pectore nomen habe.
Inciderit quoties & mentio facta Sabini:
Ille mihi est fratris iunctus amore: refer.
Quin & ubi dominam venies ad Tybridis urbem,
Præstantes habitant qua tot in vrbe viri:
Ausonios vates mihi conciliabis amicos.
Carminis autores carminis autor amo.
Fronde triumphali redimitum tempora Vidam:
Quem tulit Eridani iuncta Cremona vadis.
Blandaque Nasonis referentem carmina Molsam:
Cuius habet similes vix Elegia modos.
Nec non Flaminium, cuius lepidissima vatis
Omnes insigni carmina laude ferunt.
Inprimis vero Bembum saluere iubebis,
Inclyta quo gaudet Flamine Roma sacro.

E ij Adryace

Adriacę Bembum gentis decus:attica cuius
Verba,velut dulci nectare tincta,fluunt
Historico cuius calamo pater Adria tantum
Ob populi debet facta legenda sui:
Tybridis vrbs quantum Patauino debet alumno,
Romuleos calamo qui celebrauit auos.
Anglorum veteri natumq; propagine Polum,
Cui triplicem linguam docta Minerua dedit.
Et Ciceronæo Sadoletum more loquentem,
Facundo Charites cuius in ore sedent.
Ac tot Aleandrum linguarum dotibus auctum,
Cinxit Apollinea qui mihi fronde comas.
Omnibus his igitur me commendabis:& horum.
Ipse salutabis nomine quenq; meo.
Mollia sic ducant gelidas te fata per alpes:
Sic patrię sospes restituare tuę.

AD CARDINALEM P. Bembum.

Elegia III.

ILLe Sabinorum gaudet qui nomine vates,
Te procul a Viadri Bembe salutat aquis:
Cuius ad argentes ludit modo carmina ripas
Aonię tangens plectra sonora lyrę.
Si fortasse rogas, quibus amnis hic erret in oris:
Teutona Vandalico separat arua solo:
Quęq; alias Viadrum Germania nuncupat, idem
Dictus ab indigenis Odera nomen habet.

Sed mo

Sed moror ipse tuas longis ambagibus aures:
Accipe, nostra procul quid tibi musa ferat.
Annua forte dies aderat, cum prisca biforem
Tybridis vrbs Ianum deuenerata fuit:
Prouidus vt coeli custos emittere pacem,
Ac rigidis vellet condere bella feris.
Moenibus exieram solus, vinetaq; lustrans,
Per niue candentes ingrediebar agros:
Versabamq; graues moesto sub pectore curas,
Temporis expendens tristia fata mei:
Vt iuga Dalmatiae, ripasq; binominis Istri,
Turca Pelethronijs depopuletur equis.
Arma nec Europae capiant vlticia reges:
Effera gens quorum marte domanda fuit.
Ergo trahens imo suspiria corde, fremebam:
Haecq; dabam gelidis verba ferenda notis.
Nunc ego Dirceus vates, fidibusq; canoris
Inclytus Oeagri filius esse velim:
Non vt aues, rigidasq; feras, & saxa, vel ornos
Ducere, sed regum corda mouere, queam.
Dicite summa quibus rerum concessa potestas,
Vestra quis ignauus pectora torpor habet?
Quod non indomitum bello compescitis hostem,
Cuius Pannoniam dextera caede replet.
Me miserum, quantas clades hic barbarus orbi
Intulit: est quarum commemorasse dolor.
Aeoliae domitis mare Thracibus abstulit Helles:
Captaq; Byzanti moenia victor habet.
Phoenicum vastauit agros, quaeq; altus opacat
Florida palmifero vertice rura Thabor.

E iij Cædi

Cœdibus impleuit septemPLICIS oppida Nil:
Ac te Carpathio marmore cincta Rhodos.
Sæuit in Istricolas iam nunc, Budaq; potitus
Austriacis prædam finibus hostis agit.
Ne fera prædonis victoria longius iret,
Cura pijs ducibus suscipienda fuit.
Græcia si rapta Menelai coniuge bellum
Gessit, & est hostem fortiter vltia suum:
Cur cœlestis erunt Christi sine vindice gentes?
Nullus an innocui sanguinis vltor erit?
Proq; tot abductis hominum, cœsisq; piorum
Millibus: Europam sumere bella piget?
Heu quanto miseri gemitu suspiria ducunt,
Diripuit quorum barbara turba lares:
Quiq; manus vincti duris post terga cathenis,
Verbera coguntur tortaq; lora pati:
Quod non sacrilegi Mahometi numen adorant,
Te sed adorantes optime Christe colunt.
Ah si fata darent reduces hoc tempore reges,
Francia quos olim, Sueuia quosue tulit:
Non ita falcato sæuiret acynace passim,
Mœstaq; crudelis funera prædo daret.
Fortibus indomitos Auares compescuit armis
Magnus ab Hectoreis Carolus ortus auis:
Atq; Saracenis, qui Betica regna tenebant:
Hesperij captas orbis ademitt opes.
Primus in Armenia Fridericus castra locauit:
Ad Solymos alter trans mare signa tulit.
Hac decus Heroes quondam sibi laude parabant:
Insitus hic animi regibus ardor erat:

Non vt

Non vt
Ex
Sec pro
Pro
At mo
Su
Alter
G
Efferu
Q
Temp
Stu
Non si
Si
Nuper
Hi
Septim
V
Nec t
A
Fœlice
Fu
Ne Ge
Ex
Hac v
Jan
Ecce b
Aff
Vt tre
Sic

Non vt diffidijs ciuilibus arma mouerent,
Exitioq; suos Marte furente darent:
Sed procul arcentes vt auitis sedibus hostem,
Pro patriæ gererent bella salute suæ.
At modo nulla gerunt nisi bella domestica reges:
Sustinet ex ducibus prælia nemo foris.
Alter in alterius sic viscera sæuit, vt olim
Gens quæ Cadmeo semine nata fuit.
Efferus interea grassatur Turca per orbem,
Qui contundendus fulmine martis erat:
Templa prophanatis & disijcit impius aris,
Stupraq; cum sæua cæde nefanda facit.
Non sic acta furit rabie Gangetica tigris,
Si qua vel est catulis orba læna suis:
Nuper vt ille furens, violentis sæuijt armis:
Hic vbi Pannoniam Noricus Ister adit.
Sepibus infantum suffixa cadauera pendent:
Vbera matronis ense resecta iacent.
Nec tamen e summis Europæ regibus vllum
Afficit, & clades hæc miseranda mouet.
Fœlices animæ nostro quibus attulit quo
Funeris extremam mors properata diem:
Ne Geticos metuant arcus, possintq; ruentis
Excidium patriæ triste videre suæ.
Hæc vbi verba leues iactauit questus ad auras:
Iamq; petiturus moenia rursus eram:
Ecce bifrons, alto delapsus ab æthere, Ianus
Astitit: ancipiti territus ore fui.
Vtq; tremuit ventis agitata palustris arundo:
Sic mea concussit luridus ossa pavor.

Illi Scy

Illi Scythonia candens niue barba rigebat:
Aegoceri tectum vellere corpus erat:
Dextera gestabat baculum manus: inq; sinistra
Clavis, qua superum panditur aula, fuit.
Vtq; niues humeris gelidos excussit & imbres:
Anteriore loquens hos dedit ore sonos.
Desine mirari solos, quos Francia reges,
Quosue potens olim Sueuia marte, tulit.
Nondum tota iacet virtus extincta: supersunt
Hoc fera quos acuent tempore bella Duces.
Ecce suis quaerunt nunc Germania dissidet armis,
Concordi iunget foedera pace domi:
Proq; focis, arisq; & libertate tuenda,
Sumpta pharetratis inferet arma Getis.
Affectum miseris tot cladibus asseret Istrum,
Graiaq; barbarico subdita regna iugo.
Inde citam ducens longinqua per aequora classem
Figet Idumæo clara trophœa solo.
Non est fractus adhuc rex Ferdinandus, & alter
Augusti titulum qui modo frater habet.
Hic aget Hesperiae fortes in praelia gentes:
Ille Bohæmorum robore bella geret.
Ergo pone metum, tristes ac siste querelas:
Quem metuis posthac non metuendus erit.
Dixit, & in tenues euanidus exijt auras:
Et mea conijciens sparsit in ora niuem.
At non vana mihi cœlestis ianitor aulae
Rettulit, imperij iam coiere Duces:
Et modo confirmant æterno foedere pacem:
Omnibus inq; Getas viribus arma parant.

Martia

Martia
To
Ex duci
Ag
Marchi
Vi
Austri
Ve
I, decus
Itu
Te prid
Vt
Mœnal
Gai
Nec me
Pro
Ille tuus
Vt
At Ro
O
Te dece
Qu
Omnibu
Sub
Nam vel
Cum
Sic quoq
Ne r
Græcia f
Subd

Martia terribili feriuntur tympana pulsu:
Tolluntur medio bellica signa foro.
Ex ducibus vero, quos pugnae accincta sequentur
Agmina: septemuir Marchio, primus erit.
Marchio Teutonici pronepos animosus Achilles,
Virtutis specimen qui dedit ante suae
Austriacis cum te grassantem depulit oris:
Vertit & in celerem saeue Tomita fugam.
I, decus imperij, patriaeque tuere salutem:
I tua quo virtus te Ioachime vocat.
Te pridem cupidis expectat Achaia votis,
Ut semel excutiat triste redempta iugum.
Moenalus inclinat prona tibi rupe cacumen:
Gaudent aduentu Pindus & Ossa tuo.
Nec metuas enses, nec spicula tincta veneno:
Prospera suscipies auspice bella deo.
Ille tuus protector erit: partoque triumpho
Ut letus redeas victor ab hoste dabit.
At Romana pio quo Flamine curia gaudet,
O sacer Aonidum nobile Bembe decus:
Te decet, hortari Venetos, populumque Quirini,
Quos tua dulce loquens flectere lingua potest:
Omnibus inuadant ut eundem viribus hostem:
Subsidio nobis, neu superemur, eant.
Nam velut accurrunt exciti sedibus omnes,
Cum vagus incensa Mulciber vrbe furit:
Sic quoque vos sumptis accurrere conuenit armis,
Ne rigidis simus praeda cruenta Getis.
Graecia suppetias olim si Thracibus issent,
Subdita Turcarum non foret ipsa iugo:

E Nec

Nec modo lugeret superatus ab hostibus Ister,
Pœona si Danais terra tulisset opem.
Quare uestra nisi vicinos arma iuuabunt,
Tristia (crede mihi) vos quoq; fata manent.
Nec minus alternæ discordia semina litis
Tollere, Bembe tuæ pars pietatis erit:
Et sedare graues motus, quos tempore nostro
Turbata populus religione facit.
Nam cum præcipue latij sacer ordo senatus
Te colat, inq; oculis vrbs Tyberina ferat:
Optimus assertor fidei pacisq; sequester,
Vulnera fomentis nostra iuuare potes.
Reſpice quas hominum recdēs pro crimine mortē,
Abluit ipse suo sanguine Christus oues:
Optatamq; gregi pastorum confice pacem:
Quorum dissidium tristia damna parit.
Nam fera dum motis certamina litibus instant,
Excubias nullus pro grege pastor agit.
Destituuntur oues & ruptis sepibus audent
Vndiq; raptores in pecus ire lupi.
Summus in illustri deus hac te sede locauit,
Ingenijq; tibi flumina larga dedit:
Vt tua conciliet mitem facundia pacem:
Et veræ partes religionis agat.
Ergo tuos Venetos hortare, tuosq; Quirites,
Vt sua nobiscum iungere castra velint:
Immanemq; iuuent armis excindere gentem:
Quæ nos exitio, sit nisi fracta, dabit.
Effice concilium simul vt solenne vocetur,
Elucescat vbi gloria vera Dei.

Id cupit

Id cupit, id votis ardentibus optat, id vnum
Expetit, & Christi te pia sponsa rogat.

AD ILLVSTRIS: PRINCIPEM
S. R. I. ELECTOREM, IOACHIMVM
II. Marchionem Brandenburgē: in expeditionem
cōtra Turcas pficiscentē, Elegia III.

Sic tibi laurigeros victoria læta triumphos,
Sic tibi conuerso terga det hostis equo:
Suscipe militiae princeps fortissime curam:
Pro patria durī suscipe martis onus.
Et velut, vltorem quem sensit Amilcare natus,
Vnicus Aeneadum Scipio murus erat:
Acer vt opposuit se fortibus Hector Achiuis:
Sic patriæ murus sis Ioachime tuæ.
Excitet æternæ te laudis ad arma cupido,
Qua solet Heroum mens generosa trahi.
Namq; duces valido patriam qui Marte tuentur,
Hos vt Semideos cernis in orbe coli.
Exacuunt etiam te sæua pericula, nobis
Instant a trucibus quæ metuenda Getis.
Hoc agitur patriæ non solum gloria bello,
Sanguine maiores quam peperere suo:
Sed quoq; libertas, quam si Germania perdet,
Impia sacrilegi serua latronis erit.
Scilicet impuris cogetur dedita sacris,
Veri ludibrio nomen habere dei:

F ij Aspice

Aspice Pannoniam, quæ nunc subiecta tyranno,
Cogitur in templis multa nefanda pati.
Ante colebat vbi Christum solennibus aris:
(Heu scelus) ipse locū nūc Mahometus habet.
Eripe nos igitur crudelibus eripe Turcis,
Iustaq; pro patrijs suscipe bella focis:
Assere Christiadum cum libertate salutem:
Atq; redemptoris templa tuere tui.
Hoc rogat, hoc series exoptat longa nepotum:
Quæq; cupit nasci, libera quæq; mori.
Clarorum hoc animæ poscunt manesq; virorum,
Pro patria vitam qui posuere suam.
Deniq; captiui tensis ad sydera palmis,
Hoc mœsto gemitu, nocte dieq; petunt
Hinc procul a nostris abductos finibus atrox
Quos instar pecudum fustibus hostis agit.
At tu, magnanimi ducis annue fortibus ausis,
Aeterni soboles vnica Christe patris,
Non fera bella gerit scelerati more tyranni,
Pro populo vindex induit arma tuo.
Illius a cunctis vitam defende periclis,
Quæ dubij præceps alea martis habet.
Tu validas illi vires, animumq; ministra,
Frangat vt audaci barbarata tela manu:
Qualiter inuictus cœlesti robore Sanson,
Mota Philisteis contudit arma viris.
Sacrilegis vero Turcis immitte pauorem,
Quo dent in celerem terga cruenta fugam:
Non secus Isacidis ac bella gerentibus hostes
Versa repentino terga dedere metu.

Quod

Quod precor, eueniet: necq̄ enī sine numinē, tantus
Prosequitur populi te Ioachime fauor,
His in dissidijs patriæq̄ tumultibus, omnes
Vnanimes gaudent quod tua castra sequi.
Tanta Mycaeneus non agmina duxit Atrides,
Concidit Argolica quo duce Troia manu,
Quantas ipse equitum turmas, peditumq̄ cateruas
Maximus imperij nomine ductor agis.
Teutonico cuius langore ferocia creuit,
Nunc tibi Turcarum gens scelerata caue.
Iam video Getici fluuios vndare cruoris,
Corpora squalenti cæsa iacere solo:
Inq̄ potestatem redigi durissima Thracum
Regna, ferus quorum sceptrā tyrannus habet.
Vos & io tristi nunc soluite pectora luctu,
Quos in compedibus barbara turba tenet.
Vltor adest, qui vos dominorum cæde redemptos
Liberet, ac vinculis eximat, vltor adest.
O quos ille dies plausus, o quanta videbit
Gaudia, quæ nullum sunt habitura modum
Aspera finieris lætis vbi bella triumphis,
Vindice tutatus nos Ioachime manu:
Cumq̄ cathenati reges proceresq̄ Getarum
Ante tuos ibunt inclyte victor equos.
Aureus hanc vtinam properantibus adferat horis
Lucifer, & celeri Cynthius axe, diem.
At iam tempus adest, vt agas in bella cohortes,
Te fera cum lituis tympana pulsa vocant.
I foelix, auibusq̄ moue tua castra secundis:
Excidat imperio te duce Turca suo.

AD CHRISTOPHORVM
TVRCVM. Elegia V.

ECquid adhuc sæua correptus febre laboras ?
Torret vt ardentī quæ tua membra foco:
Horror & algentes tibi frigore concutit artus ?
Mox vbi destituit feruidus ossa calor.
Bis cessante suas finiuit voce querelas,
Cecropis Ismarium quæ genit ales Itym:
Bisq; seges demessa fuit: cum languidus ægro
Semper & affecto corpore Turce iaces.
Iamq; senescenti tabescis, vt audio, morbo:
Robur & ætatis concidit omne tuæ.
O vtinam pro te quantumuis dura liceret
Fata per alternas sustinuisse vices:
Ipse libens aliqua morbi te parte leuarem,
Ne tantis æger conficerete malis.
Namq; voluntatis mihi talia signa dedisti,
Vt tua sit potior vita salute mea.
At tu, quarta tribus furijs soror addita, tandem
Ipsa fatigato corpore febris abi.
Quid iuuat insontem crudelibus vrere flammis ?
Supplîtium hoc debent, qui meruere, pati.
Non hunc, Enceladi ducis impia castra secutum,
Constat in æternos arma tulisse deos.
Cur genus humanum nullo discrimine torques?
Si tibi fas, homines perdere: perde malos.
Illos conficias, Epicuri scita professi,
Ludibrio nomen qui pietatis habent.
Vos o Pierides, vos si medicamina nostis:

Quæso

Quæso labranti ferte salutis opem.
Pæoniæ crescunt in odoris vallibus herbæ,
Celsus vbi gemino mons petit astra iugo:
Emanatq; sacro fons ex Helicone salubris,
Fecit ab Abantiadæ quem pede regis equus.
Illinc Pegasei vos pocula ferre liquoris,
Plenaq; odorato flore canistra decet.
Ah prohibete nefas, mites prohibete puellæ:
Afferat ægroto ne fera parca manus.
Vester honos agitur: vestros hic iuuat alumnos,
Officio semper demeruitq; suo:
Qui si conciderit, morboq; peribit acuto:
Nobis Meccenas vatibus ecquis erit?
Omnibus ex hedera voueo thymbraq; coronas:
Si vestra incolumis restituetur ope.
At si Turce tuæ nil profint vota saluti
Hæc: tamen optati signa fauoris habent:
Declarantq; meum, quo te complector, amorem:
Meq; tuam tristi mente dolere vicem.
Et licet, affecto dum corpore deficis æger,
Sit tibi conditio sortis acerba tuæ:
Fer tamen hanc animo non indignante ruïnam,
Quam tua concussa vita salute facit.
Ortus es, vt mundi subiectus casibus esses:
Nullus in hoc expers sureris orbe fuit.
Vel cito vel sero, vitam mors omnibus aufert.
Quæ tibi sunt æqua mente ferenda, feras.
Adde quod egisti melioris tempora vitæ:
Nostraq; sunt tantis sæcula plena malis
Aerumnas hominum si quis consideret omnes,

Triste

Triste sit vt nobis viuere: dulce mori.
Aspice, quæ Regum discordia: respice surgat
A male pacatis quanta procella Getis.
Te Deus in tanto vult hoc discrimine rerum,
Forte secuturis eripuisse malis.
Ergo valetudo tibi non erit ægra dolori:
Te Deus hinc poscens ad meliora vocat.
Afferet æternam vitæ iactura salutem:
Flebilis optatum mors tibi munus erit.
Illud quin etiam de me solamen habebis:
Post obitum, si non vtile, dulce tamen:
Quod non decedes ex hoc inglorius æuo,
Prosequar æterno funus honore tuum.
Soluît vt erepto Pelignus iusta Tibullo
Naso: soluturus sic tibi iusta feram.
Neu quis prætereat tua nescius ossa viator:
Extabunt elegis saxa notata meis.
Verum, siue graui morbo releuaberis æger:
(Namq; Deus morbo te releuare potest)
Siue (quod auertant superi) spes nulla salutis
Restat, & est vitæ meta peracta: Vale.

AD IOACHIMVM II. Marchionem
Electorem de instaurato Gymnasio
Francofordiano. Elegia VI.

Hospes ab exilio reuocatas Odera Musas,
Instaurare sua gaudet in vrbe choros:
Vnde fugata nouem cum Phœbo turba sororum
Nuper, barbarie regna tenente: fuit.

Nam

Nam m
Nu
Ingenio
Sp
Tunc p
Ve
Ac res
A
Ac pat
A
Barbar
A
Iamq; f
A
Nec stu
H
Summa
Su
Talia r
Q
Nec liq
Per
Actus a
Fon
Inde quo
Call
Nec min
Qua
Hanc Ec
Dici

Nam modo tempus erat, doctas profitētibus artes
Nullus habebatur quando deabus honor:
Ingeniosa rudi sordebant carmina vulgo,
Spreta Medusæi numina fontis erant.
Tunc procul excedens hac Delius vrbe recessit,
Vertit & exilio turba nouena solum.
At res ista tibi magnum Ioachime dolorem
Attulit, Heroi nec toleranda fuit.
Ac patriæ postquam tibi tradita cura regendæ,
Artibus ingenuis est reuocatus honor.
Barbaries dedit acta fugam: dulcesq; camœnæ
Auspicijs princeps huc rediere tuis:
Iamq; frequentatur schola, quæ deserta iacebat:
Aonias docta pube colente deas.
Nec studiosa cohors, Heliconiadesuæ puellæ,
Hospitio poterant commodiore frui.
Summa racemifero vestit iuga collis amictu,
Sub quo Pieridum colle theatra iacent.
Talía nimirum loca sunt gratissima Musis,
Quæ viridi cinctus palmite bacchus amat.
Nec liquidi desunt fontes, qui murmure rauco
Per iuga frondenti consita vite fluunt.
Actus ab umbrosa per acernos valle canalès
Fons ruit, ac dulces eiaculatur aquas:
Inde quod erumpens pulchre fluat vnda, vocauit
Calliroë fontem nomine Nympha suo.
Nec minus hausta sacros hæc efficit vnda poëtas,
Quam vel Gorgonei fons celebratus equi.
Hanc Eobanus aquã bibit Hællus: & acer eodem
Dicitur Huttenus fonte leuasse sitim.

G Fontib;

Fontibus addē lacus, & stagna virentia musco,
Innumero quorum pisce natantur aquæ.
Labitur obliquis hic flexibus Odera, cuius
Altera lenæo palmite ripa virescit:
Frondeb. vmbrosæ prætextitur altera syluæ:
Vtraq; montanis vndiq; cincta iugis.
Odera, quo nullus piscosior irrigat amnis
Teutona Vandalico rura propinqua solo:
Perspicua sub cuius aqua, vitreoq; profundo
Humida formosæ Naiades antra tenent.
Quid molles referam viridanti gramine campos?
Florida qui certant vallibus Enna tuis?
Hic iuuat æstiuum captare sub arbore frigus,
Igneus Erigones cum canis vrit agros:
Et volucrum dulces audire per auia cantus,
Pulsa quibus mœsti cura doloris abit.
Floribus hic texunt operosæserta Napææ:
Hic agitant Satyri læta per arua choros.
Vrbs quoq; diues opum: varias huc aduena merces
Sulcato æratis puppibus amne vehit.
Accedit populi cultus, non qualis ab arcton
Esse, sed Italica qualis in vrbe, solet.
Incola nec similes habitat magalibus ædes:
Magnificè ostentant ardua tecta domus,
Quarum summa gerunt tales fastigia pinnas,
Quales magnorum prisca theatra ducum.
Hectorei vero posuerunt mœnia Franci:
A quibus vrbs clarum nomē adepta tenet.
Ergo quod hic dulci frondent iuga consita baccho,
Lætæq; fontanis arua rigantur aquis:

Vrbsq;

Vrbsq;
O
Gratic
N
Friuol
G
Incl
I
Ipse f
T
Solut
Q
Non r
A
Innun
A
Hæc
D
Nob
H
Baltic
Q
Denic
A
Hauri
R
Aut ce
Q
Aut so
C

Vrbsq; viris opibusq; potens, quod rebus abundat
Omnibus: ac turpi rusticitate caret:
Gratior exulibus, magis optatusq;, Camœnis
Nullus in arctoo contigit orbe locus.
Friuola quin etiam nisi sunt oracula Phœbi:
Gymnasium magni nominis istud erit.
Inclyta nam reduces Musæ cum templa subirent,
In quibus hic artes turba professa docet:
Ipse futurorum non inscius augur Apollo,
Tales ore dedit vaticinante modos.
Soluite mœstitiam, tristes ac ponite curas,
Quæ sacra liquistis Phocidos arua Deæ:
Non minus hæc olim clarum loca nomen habebunt,
Ardua Parnassi quam iuga montis habent.
Innumeros iuuenes terrarum ex omnibus oris
Alliciet sedes huius amœna loci.
Hæc procul auroræ roseo surgentis ab ortu
Dulcia visuri Pannonnes arua petent.
Nobilis insignes huc Istula mittet ephœbos:
Huc Rhēni properans accola carpet iter.
Baltica permensiuēient huc æquora Cimbri:
Quiq; bibunt flauī Saxones Albīs aquas.
Deniq; vix capient studiosos atria cœtus:
Ad mea concursus limina tantus erit.
Hauriet hic varias artes linguasq; iuuentus,
Rite colet numen quæ venerata meum.
Aut celebres discet vates æquare canendo,
Quos olim latium, Grætia quosq; tulit:
Aut fontes grauib; legum compescere pœnis,
Ciuitica pro trepidis armaq; ferre reis:

G ij Aut

Aut medicaminibus tristes depellere morbos :
Aut vaga siderei noscere signa poli.
Omnibus hæc studijs schola sic florebit, vt olim
Cecropis vrbs studijs floruit aucta meis.
Talía fatídico Latonius edidit ore :
Quæ rata non dubiam sunt habiturâ fidem.
Scilicet externis procul e regionibus ingens,
Confluit huc doctas turba secuta deas.
At tu macte tuis virtutibus optime Princeps,
Dulcía qui musis otía agenda facis :
Propagasq; artes, quibus emollescere mores,
Et fera duriciem ponere corda solent.
Sic melius tota de posteritate mereris,
Aonidum reparas quod Ioachime decus
Alter ab Hesperidum quam si Tirynthius hortis
In patriam referas aurea mala tuam.
Quare magnificis extollent laudibus omnes,
Immensosq; tuum nomen in orbe canent.
Omnibus a doctis celebrabere, Tuscus vt olim
Mœcenas Atauis regibus ortus eques.
Viue nouenarum columen Ioachime sororum:
Vtq; diu florens sit schola nostra: vale.

Epigramma de principū discordia.

Mutua discordes faciebant prælia turdi :
Acris & alitibus pugna duobus erat.
Vidit vt amborum prædo certamina Nísus,
Vnguibus ac rostro dilaniabat aues.
Sic modo dum faciunt discordes prælia reges :
Turcicus Europe diripit hostis opes.

De aulico

De Aulico.

Aulicus incedit dum longa per atria solus,
Ore velut coram principe verba dabat.
Rusticus aspiciens hunc percuntatur: & inquit,
Nemine quis tecum verba loquente facit?
Aulicus hic moto stomacho: cur, improbe, dixit
Ista rogas? mecum quod loquor, an ne vides?
Ille sub hæc: fateor, sed cur non mutua ducis
Verba locuturus cum meliore viro?

De Alberto Achille Germanico.

Certior Albertus cum Marchio redditus esset,
Acre sibi bellum quinque parare duces:
Atque moneretur, ne tot contenderet impar
Hostibus: intrepidus iussit abesse metum,
Quin referam tanto plus laudis ab hostibus inquit,
Illorum quanto maior erit numerus.
Anxia solliciti quam causam turba pavoris
Attulit: hæc illi calcar ad arma fuit.

De Ioanne Georgio, Marchione
Brandeburgensium.

Inuia dum canibus sylvarum lustra pererrans,
Cuspide setosos Marchio figit apros:
Mars ait, hoc princeps studium deponere Dianæ:
Et fac militiæ castra sequare meæ.
Me duce magnificas Asiæ venaberis vrbes:
Inque tuos casses Turcica regna cadent.

G iij Quæ

Quæ vastat Scythicis egressa paludibus orbem,
Succumbet iaculis bellua fixa tuis.

Pictoris iocus.

Pignora coniugij deformia pictor habebat:
Vxor in hunc talem protulit ipsa iocum:
Cū tua præstātes manus exprimat æmula formas:
Cur secus, ac pingis, corpora fingis? ait.
Nocte refert soleo tenebrosa fingere: pingo
Clara nitet phœbo cum radiante dies.

De Senib: in cœmeterio cōfabulantib:

Complorata iacent mœstis vbi corpora bustis:
Garrula soluebant vocibus ora senes,
Certabantq; iocis: ad quos puer ore proteruus,
Sunt, ait, ad vestras gaudia quanta domos?
Confectos ætate senes, lethoq; propinquos,
Ipsumq; notans esse, sepulchra, domos.

Decoctoris iocus.

Cum sua decoctor subeuntē limina furem,
Querere speratas nocte videret opes:
Nocte quid in nostris circumspicis edibus? inquit:
Hic ego nil media cernere luce queo.

Epitaphium Ludouici regis
Hungariæ a Turcis occisi.

Natus ab antiquo Ludouicus sanguine regum,
Pannoniæ gessi sceptrā potente manu:

Occubuit

Occubuit
Thru
Nec tam
Patr

Ho
Pra
Qu
Fo
Ha
Ac

Ma
Va
C
H
O
Q
Cu

B. Fcl.
fol. pag
nia. An
Dij. n
D iij. n
proco
torques

Occubui, patriam dum protego fortibus armis,
Thrace fero regnum depopulante meum.
Nec tamē, aduerso cecidi quod morte peremptus,
Patria quod mecum concidit ipsa : queror.

Epitaphiū præstantiss: foeminæ
vxoꝝis Eustachij a Schieben.

Hoc matrona loco capit quietem,
Præclarum decus Anna foeminarum:
Quæ cum dotibus elegantis esset
Formæ prædita, moribusq; castis:
Heu quantum moriens viro dolorem,
Ac desiderium sui reliquit.

Epitaphium.

Magdalena Georgij Sabini
Vatis nata, Melanthonisq; neptis:
Cum felicibus ac pijs quiescit,
Hæc quos area contegit sepultos.
Olim tempus erit, potente sacri
Quando numinis excitata flatu :
Cum felicibus ac pijs resurget.

Errata.

B. Fol. j. coeptis fauete Camoemæ, lege coeptisq;. Eodē
fol. pag. ij. sub tegmine telas, subtegmīne. Ibidē Amaso
nia, Amazonia. B iiij. pag. ij. crudas ad aras, crudus.
D iij. in cōfinibus horti, anguis, in cōfinibus horti anguis,
D iiij. insignia Heluetio: Heluetioꝝ, F iij. pag. j. quod
procor, precor. Eodem fol. pag. ij. discrimine torquens:
torques: F iiij. fecit ab Abantiadæ, fecit Abantiadæ,

IN
LV
PI
E

